Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26143
Copyright: Admont, Benediktinerstift

bat in verbo fidei cum diceret: Et beata que credidisti. Habuit et de Christo corpore verbum quod audivit.
Et virtus altissimi obumbrabit tibi. Hec virtus verbi que de virtute altissimi formatur:
Ideo utique virtus in carne Christi que virgini obumbravit. ut quod inpossibile erat mortali femine obiectu tamen
involucri vivifici corporis ferret presentiam maiestatis et lucem sustineret inaccessibilem.
Virtus plane in qua omnis fortitudo contraria debellata est. et virtus et verbum fugans demones. tutans homines.
Aut certe virtus vegetans verbum refrigerans. vivimus primum in verbo Christi quia per fidem ambulamus. et carne
ipsius pascimur ut vivamus. Caro enim Christi vere est cibus. Et vide ne propterea etiam nunc describatur hoc loco
apparens tamquam in scemate pastorali. ubi illum sponsa quasi quodam proprium de pastoribus videtur al-
loqui dicens: Indica mihi ubi pascas ubi cubes in meridie. Bonus pastor qui animam suam dat pro ovibus suis. dat animam precium
carnem illis. illam in precium istam in cibum. Res mira. ipse pastor. ipse pascua est. ipse redemptio.
Verum sermo in longum pergit quoniam locus amplus est. et grandia continens et non explicatur paucis. atque
hac necessitate videtur mihi iam rumpendus potius quam finiendus. Oportet autem ut quoniam ma-
teria pendet. memoria vigilet. quatenus ubi pausatum erit. inde mox resumatur:
et prestet prout dominus dabit Iesus Christus sponsus ecclesie qui est deus benedictus in secula. Amen.

XXXII. INDICA mihi ubi pascas ubi cubes in meridie. Hic sumus hic pergendum. Sed antequam tractari incipiat. visio
ista et allocutio. recapitulandum breviter arbitror de aliis visionibus que precesserunt. quomodo
nobis aptari spiritualiter possint pro votis et meritis singulorum. ut apprehensis illis sicut nobis hoc
datum fuerit. facilior et in huius discussione eluceat intellectus. Verum id difficillimum.
Nam et si verba illa quibus ipse visiones seu similitudines describuntur. sonare corporea
atque corporea videntur. spiritualia tamen sunt que nobis ministrantur in his. ac per hoc in spiritu quoque causas
et rationes earum oportet inquiri. Ideo quis idoneus investigare et comprehendere tam multos animae
affectus. profectusque quibus hec de presentia sponsi tam multiformi gratia dispensantur.
Tamen si interim ad nos et spiritus sanctus lumine suo dignetur ostendere nobis. quem ope suo non
assidue dedignatur actitare in nobis. puto non omnino nos in his sine intellectu remansuros.
Confido enim non accepisse nos spiritum huius mundi. sed spiritum qui ex deo est ut sciamus que a deo
donata sunt nobis. Quod si cui nostrum cum sancto propheta adherere deo bonum est et ut loquar manifestius
si quis in nobis est ita desiderii vir. ut cupiat dissolui et cum Christo esse. cupiat autem ve-
hementer. ardenter sitiat. assidue meditetur. is profecto non secus quam in forma sponsi
suscipiet verbum in tempore visitationis. hora videlicet qua se astringi intus quibusdam brachiis
sapientie. atque in se infundi senserit suavitatem amoris. Siquidem desiderium cordis eius tri-
buetur ei. et si adhuc peregrinanti in corpore. Ex parte tamen. idque ad tempus et tempus
modicum. Nam cum vigiliis et obsecrationibus et multo imbre lacrimarum quesitus
affuerit. subito dum teneri putatur elabitur. et rursum lacrimanti et insectanti
iterum occurrens. comprehendi patitur sed minime retineri. dum subito quasi e ma-